

Alardus Guilielmus
Panegyrikon princ.
CHRISTIANI IV.
Hamburg 1598

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

35,-195,-4° DA BOX

(LN bis 323)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

35-195-4°

46.

ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΝ

Sereniſsimi Potentiſsimiq́; Principis ac Domini, Dn.

CHRISTIANI IIII. REGIS DANORUM, VANDALORUM, GOTHORUMque;

Ducis Sleſvvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ, Comitis in Oldenborch, & Delmenhorſt, Proſapiam Regiam: Ejuſdemq́; ſolennem in urbem Cremparum ingreſſum, brevibus includens verſibus; debitæ ſubmiſsionis & gratitudinis ergò ſcriptum

4966

A

GVILIELMO ALARDI, Holſato; Scholæ Crempenſis Conrectore.

HAMBVRGI, Typis Binderianis, Per Philippum de Ohr excuſum.

M. D. IIC.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
KØBENHAVN

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

DIgna canant Cedro, victuraq́; carmina, quorum
Impediunt hederæ frontes, quibus innuba Pallas
Haud parcum Aönijs indulget fontibus hauſtum.
Si tantas nobis neget hîc in carmina vires,
Tardior obſiſtens circum præcordia ſanguis,
Quid mirum? Arctôo nimiùm vicina Böotæ
Terra ſubeſt: aſtrum ſupra nimis imminet Vrſæ:
Incipiam tamen, & deducto carmine, regem
Magnanimum, quo non pietate illuſtrior alter,
Cantabo, nutu qui ſceptra ARCTOA IEHOVÆ,
Miſſa per ingentes abavos atavosq́; tuetur.
Nunc is, quem canto Muſæ, quo ſanguine natus
Rex fuerit, dicam; primæq́; exordia gentis
Per tot ducta viros, antiqua ab origine, pandam.
Hinc regem qui ſint comites, quæ turba ſecuta,
Cùm primùm Holſatam CREMPARVM viſeret urbem,
Expediam; faciles vos adſpirate canenti.
Magnum opus aggredior; quanquam mea cognita virtus
Terret, ut exiguæ valeant ſubſiſtere vires.
Tu quoq́; qui dignum CHRISTI de nomine nomen
Rex CHRISTIANE geris; placido mea carmina vultu
Suſcipias oro; noſtræ nec parva camœnæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Munera reſpueris: meritas ſi carmina laudes
Deficiant: humilis tantis ſim conditor actis.
Sic tua perpetuum lucis manſura per ævum
Gloria, floreſcat magis ac magis: & tibi ſoſpes
Debita felices memoretur vita per annos.
Principio veterum ſi quis monumenta legendo
Expendat, ſeu ſint pede vincto, ſive ſoluto
Scripta; ſat unanimis & ſingula & omnia ſignis
Conſpirant; genus, & tantæ prima ordia gentis,
Quam cano, præluſtri deſcendere ſtirpe nepotum:
Undè tot ingentes & nomine & omine reges
Floruerint: quorum ſi nomina, facta triumphos,
Tantillis ſperem metrorum includere metis:
Vere priùs viridis numerando germina campi
Perſequerer; meßisve omnes flaventis ariſtas.
OLDENBURGIACÆ quis non præconia gentis
Miretur? veterum malit vel ſcripta recentum
Volvere, non paucis quæ ſunt ſatis obvia libris.
Hac de ſtirpe ſatus, tantæq; ab origine gentis,
CHRISTIANUS I. *Rex CHRISTIANUS erat; gelida tria regna ſub ARCTO*
Qui primus tanto ſic dictus nomine rexit. (gentis
Namq; ubi CHRISTOPHORUS BAVARÆ non ultima
Gloria (cui ſceptrum regni Borealis, ERICO
Cedente oblatum eſt) fata ultima morte ſubiſſet:
Et neq; quæ patrij caperet moderamina ſceptri,
Maſcula progenies hoc eſſet ſanguine nata:

Tunc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Tunc patres DANAUM primi, procerumq; ſenatus,
Quos penes arbitrium de ſucceſſore legendo
Imperij ſtabat; votis & vocibus omnes
Vnanimis; quia ſic etiam ſuadebat ADOLPHUS
Jam ſenior, princeps HOLSATIS inclytus oris;
OLDENBURGIACO CHRISTIANUM ſtemmate natum
Imperio poſcunt, lætiſq; in regna vocatum
Auſpicijs, patrem patriæ, regemq; ſalutant.
Qui quanta cum laude ſuos, vel pace vel armis
Rexerit; Invicti quàm gratus Cæſaris hoſpes
Vixerit; ut regni latè protendere fines
Inſtiterit; DANAÆ DITHMARSAM ut junxerit oræ;
Id memorant alij; nos ſumma cacumina rerum
Stringimus, his ventura dies majora reſervat.
Filius hunc ſequitur JOANNES, grandior ævo, IOANNES Rex Daniæ & Sueciæ.
Qui patre adhuc vivo legitur rex; acer in armis
Marte potens; cui nemo unquam ſe impune tuliſſet
Obvius armato, ſeu cum ferretur in hoſtem
Enſe pedes nudo, ſeu cum cataphractus, ahenis
Quadrupedantis equi foderet calcaribus armos.
Suecia teſtis erit; quà deturbavit aviti
Sedibus imperij regem; Cum victor eâdem
Utraq; ſceptra manu gereret: DITHMARSIA vires
Illius experta eſt; quamvis hîc alea Martis
Quæ dubia eſt; clades immiſit utrinq; cruentas.
Hic ubi poſt varios caſus belliq; labores,

 Compoſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Compoſitis tandem rebus, ſua debita Parcis
Jam ſenior, placida ſolviſſet morte ſopitus:
CHRISTIANVS II. rex Daniæ. *In patris exſtincti* CHRISTIANVS *regna* SECVNDVS
Nomine avum referens ſubijt; ſed moribus ipſi
Haud paulùm abſimilis; felix ſi pacis amaſſet
Otia, & ad pacem ſuadentis verba parentis.
Ipſe magis Martis, quam pacis natus ad artes,
Finitimos bello populos armisq́ fatigat.
Cumq́ ſui quondam ſub ſceptra coäcta parentis
SVECICA *terra, iterùm quod geſſerat antè, rebelli*
Excuteret cervice jugum; CHRISTIANVS *ad arma*
Causâ hortante illâ, Suecis jubet arma parari.
Nec priùs abſiſtit, patrem quàm fortiter ultus,
Cogeret inuitos ſub priſtina jura rebelles.
At poſtquam proprij ſævitum in viſcera regni eſt;
Bellaq́ vicinis ſunt urbibus intentata;
Adverſo cæptum eſt pugnari numine; Tandem
Rex regno exutus, multo illud milite fruſtrà
Sæpiùs inſtabat ſub prima repoſcere ſceptra.
Quin tandem varijs hinc indè erroribus actus,
Quod reſtabat adhuc regali in carcere vitæ
Finijt, & placidâ compoſtus pace quievit.
Atq́ ità dum paſſim DANAVM *turbatur in oris,*
Et quæ peſte ſua, tot tantaq́ regna, tot urbes
Funditùs evertit toties Diſcordia; ſenſim
Quaſſare invadit Borealis viſcera regni:

Ne

Ne tamen omnino peſſum irent omnia, primi
Ductores Danaum, & lecti pars magna ſenatus,
Conſilium ſummis regni de rebus habentes,
Sceptra aliò transferre; alium ſibi poſcere regem.
Is FRIDERICVS erat, nulli pietate vel armis
Inferior, Danaum generoſo ſtemmate regum
Editus; Holſatam juſtis qui legibus oram
Jam multos florentem annos in pace regebat.
Huic oratores Danai, regniq́ coronam
Cum ſceptro mittunt; poſcuntq́ is rebus ut unus
Succurrat dubijs, Arctoaq́ regna capeſſat.
Dux ita legitimis regnum in Boreale vocatus
Auſpicijs; non pauca ſuo cum corde volutat:
Quid faciat: ſic turbato ſuccedere regno
Malit; an Holſatis cum pace quieſcere ſceptris.
At ſimul ancipiti dum ponderat omnia lance,
Illa tamen potior tandem ſententia mentem
Confirmat; quocunq́ Deus, fortunaq́ poſcant
Velle ſequi; reputatq́ animo; ſic fata Jehovam
Sortiri; rerumq́ vices ita vertere; ſceptra
Ingentem de gente ſuo qui numine transfert.
Hic ita dum vario flagrarent cuncta tumultu,
Vltor adeſt, Danaumq́ capit ſceptra atq́ coronam,
Fortiter Arctoïs arcens à finibus hoſtem.
Qui licet amiſſum collectis undiq́ turmis,
Imperium urgeret ſub priſtina cogere ſceptra;

FRIDERICVS primus.

Molitus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Molitus fruſtrà eſt; docuit ſic exitus ingens;
Non niſi conſilio FRIDERICUM *numinis, iſtis*
Immiſſum regnis, oblata capeſſere ſceptra.
Rege ſub hoc, Danais tandem Pax optima rerum
Redditur: Alma Quies, priùs exſul, priſtina tandem
Tecta redux repetit, ſedes Jus Fasq; reviſunt
Amiſſas: Pietas, Amor & Concordia, regni
Præcipites certant ſimul inſtaurare ruinas.
Quin Furor, & Furiæ, & Bellona, & ſæva Tyrannis
Sede ſuâ centum vinctæ poſt terga catenis
Pelluntur; ſtragesq; alio, fera bella, necemq;,
Et quicquid miſerum eſt ſecum exportare jubentur.
Sic grata populos FRIDERICUS *pace regebat,*
Jam ſenior: factis ſic ingens nominis omen
Æquabat: donec ſpatio extimioris in ævi
Complexus inter natorum, morte quieta
Mutaret vitam; ſuperasq; mearet ad arces.
Filius hunc ſequitur famâ ſuper æthera notus,
Sive fide, ſeu quis bello eſt expertus, & armis.
Is priùs Holſatos dux ſub ditione tenebat
CHRISTIANUS III Dan. Rex. CHRISTIANUS, *magno* CHRISTI *de nomine dictus.*
Sed patre tranſlato Paradyſi ad gaudia, ſceptri
Succeſſor patrij, procerum ſuadente ſenatu
Eligitur; famamq; patris virtutibus æquat.
Hunc ego ſi noſtra mediter cantare Camœna
Pro meritis, quantumq; ſat eſt, quantumq; meretur
Illius

Illius & pietas, & terris didita fama:
Inſcius heu cupiam viburna æquare cupreßis.

Nam veræ ſpectes ſi relligionis amorem,
Is CHRISTIANVS *erat: ſtudium ſi juris & æqui,*
Is CHRISTIANVS *erat: totam ſi deniq; vitam,*
Is CHRISTIANVS *erat: Tam ſancti nominis omen*
Perfectè egregijs virtutum dotibus implens.

Nec ſine teſte loquor, conſtant ſatis omnia: Teſtis
Relligio eſt, pridem tenebris immerſa Papatus:
Quam rex errorum detersâ fæce, ſecutus
Prævia Lutheri veſtigia reddere luci
Optatæ tandem, miro properabat amore.
Vtq; Prophetarum purè de fontibus hauſta,
Vox Evangelij, per regna Arctöa ſonaret:
Ipſe etiam in DANAVM *tranſcribi* BIBLIA *linguam*
Juſsit, ut à quovis poſſent volvi atq; revolvi.
Vndè & Lutheri divina volumina regnis
Commendare ſuis non deſtitit; illaq; templis
Servari voluit theſauri ingentis ad inſtar.

Quin te ſancte ſenex nullos reticende per annos
HAFNIA *perpetuâ tollit ſuper æthera laude:*
HAFNIA *doctiſonis ſedes gratiſsima Muſis.*
Hæc quodcunq; valet tibi ſe debere fatetur.
Namq; ibi cum triſti ſpretæ ſub nocte jacerent
Aönides tu tecta ipſis, tuq; atria pandis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Diſcentumq́ amplis cœtus proventibus auges.
Ante ignota nimis, neglectaq́ Balthica Thetis
Littora pulſabat; nunc illius æquora circum
Aönides agitant choreas, & pollice nervos
Percutiunt, motis ſubjungunt carmina nervis:
Inflat & argutas non Tityrus unus avenas.
Quo tibi perpetuam ſpondent pro munere laudem;
Carmina donec erunt, laticesq́ Aganippidos undæ.
Nec tantum tua facta hominum juſtiſsima mentes
Tangebant: ſummo te perplacuiſſe JEHOVÆ
Signa ſuo ſatis indicio manifeſta docebant:
Namq́ ubi tranſacti tibi terminus ultimus ævi
Ingrueret; ſummamq́ tibi jam fata quietem
Adveherent; cœlo prænunciat Angelus horam,
Quâ dulci fragilem permutes funere vitam.
Undè tibi ipſe jubes tumbam fieri atq́ pheretrum,
Quæq́ ſolent vitâ præſtari cætera functis.
Sic inter lachrymas tandem gemitusq́ tuorum,
Multa monens; placidâ claudis tua lumina morte.
Fortunate ſenex: Hinc jam complexibus hæres,
Quem vivus puro coluiſti pectore, CHRISTI.
At tua perpetuis mundum circumvolat alis
Gloria, & ingenti te tollit ad æthera laude.
Famaq́ te pennâ ſolvi metuente ſuperſtes
Semper aget; lucem donec diſtinguet ab umbris
Sol oculus mundi. Calathis date lilia plenis
Pierides

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Pïerides, ſpargam flores, patriæq; parentem
His ſaltem accumulem poſt fata noviſſima donis.
Nec tu carminibus FRIDERICE tacebere noſtris, FRIDERICVS II. Rex. Dan.
Magne pater patriæ; quo non illuſtrior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis:
Sed quibus incipiam numeris intexere nomen
Rex FRIDERICE tuum, quo tandem carmine facta
Includam, dictis ut non majora ſuperſint.
Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis,
(Quod fateor) licet ipſe mihi præſcribat Apollo
Carmina: & ipſe licet plectrum mihi porrigat Orpheus.
Aggrediar tamen, & ſaltim faſtigia rerum
Perſequar, ut vel Marte truces deviceris hoſtes,
Vel gratam amplexus dilexeris otia pacem.
Ac ne per dubias errent mea carmina laudes;
Jam bellis experta canam: teſtes mihi victi
Dithmarſi fuerint: hæc quamvis aſpera bello
Gens olim fuerat, collo quæ fræna rebelli
Excuteret: tamen hanc tandem te fortiter armis
Debellaſſe, ſatis toto percrebuit orbe:
Et noſtræ nil laudis eget: ſatis omnia doctis
Sunt perſcripta libris: & victrix Gloria latè
Solis utramq; domum complens, jubet omnia longas
Ire per ætates, & ſera per ora nepotum.
Quin tua quid virtus, invictaq; dextera bello
Quid poſſet, terra atq; mari, quoq; Suecia quondam

Experta eſt, & non ſine clade experta ſuorum.
    Sed quid bella cano? ſi confero commoda pacis,
Non minor hinc tibi ſurgit honos: ſic gloria utrinq;
Marte, togaq; æquis te tollit ad æthera pennis.
Nam quæ præcipuè STABILI fundamine regna
Conſtituit PIETAS, tibi erat ſuper omnia cordi.
Et ſtudium veræ ſic Relligionis amabas
Vt magni exemplum ſequereris ubiq; parentis.
Quin & permultum tibi turba novena ſororum
Debet: Dum gratam Muſæ te vindice ſedem,
Hoſpitiumq; ſibi gelida tenuere ſub Vrſa.
Quid reliquas memorem tantillo hoc carmine dotes
Rex FRIDERICE tuas? ſi dicere ſingula tentem,
Sim puero ſimilis, guttas qui roris in urnam
Colligat; & vaſto ſatagat confundere Ponto.
    Salve magne pater patriæ, tua gloria vivet,
Cum Sole & Lunâ, ventura in ſecula; donec
Sidera in occaſum nitido volventur ab ortu.
Jamq; tuus proavos inter, cœtusq; piorum
Spiritus exſultat gaudens; fruiturq; perenni
Læticia; à facie ad faciem ſine fine JEHOVAM
Dum videt, æternisq; bonis diſcrimina penſat.
Cætera pars, patria regione repoſta quieſcit:
Cui pater omnipotens, det in urna perpetuum ver
Spirantesq; crocos: donec lux ultima corpus
Atq; animam nexu rurſus conjunxerit uno.

Stemmate

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Stemmate ab hoc ſatus eſt, tantaq́ꝫ à ſtirpe paterna
CHRISTIANVS, CHRISTI, QVARTVS de nomine dictus. CHRISTIANVS IIII
Qui patre tranſlato promiſſi ad gaudia cœli, rex Daniæ.
Succeſſit ſceptris multa cum laude paternis.
Nec minùs illuſtris materni eſt ſtemmatis ordo:
Hanc genuit, Princeps, famâ hinc ſuper æthera notus
VLRICVS; paret cui tota MEGAPOLIS, atq́ꝫ VLRICVS
Vicinæ gentes, quas ſervantiſſimus æqui DVX ME-
Imperio tenet, & multa cum laude gubernat, GAPOLI-
Jam ſenior; ſed cruda duci viridisq́ꝫ ſenectus. tanus, &c.
Hoc duce pax iſtis viguit lætiſſima terris
Jamq́ꝫ viget, vigeatq́ꝫ diu precor: Hoc duce vera
Relligio, Pietas, Jus, Fasq́ꝫ, novemq́ꝫ ſorores
His ſedem fixêre locis; moresq́ꝫ per urbes
Ingenuos regnare jubent, regnare per agros:
Debitaq́ꝫ egregijs perſolvere præmia factis.
Sed tua pro meritis dux inclyte dicere facta
Non opis eſt noſtræ: Varno confine ROSETVM
Stat tibi: quod tantis poſſit ſe accingere rebus:
Et meritò: caſtis ingenti ibi laude Camœnis
Hoſpitium præſtas, & plurima commoda; Magnis
Dum ſacras animos precijs accendis ad artes.
Ergò donec erit Varnus, Varnoq́ꝫ ROSETA
Proxima donec erunt; tua vivida gloria, Princeps
Inclyte perpetuis orbem circumvolat alis.
Utq́ꝫ ſolent flores renovare ROSETA quotannis,

Sic iterum atq; iterum tua fama novabitur; Ipſæ
Contendent grato inter ſe certamine Muſæ,
Inde alios aliosq; tibi componere verſus.
Hæc Materna fuit, fuit altera origo Paterna,
Qua Rex CHRISTIANVS deſcendit origine; juſtam
Vtrinq; illuſtri ducens de ſanguine partem.
Argumentum ingens hoc eſt, quantum inſtar in ipſo
Rege ſit; & quantum ad virtutem animosq; viriles
Hunc pater, & proavi, ſanguisq; illuſtris avorum
Excitet & laudum generoſo accendat amore.
,, Namq; nec imbelles Aquilam generare columbas
,, Res ſatis ipſa docet; virtus ſe in prole parentis
,, Exſerit; & fortes naſcuntur fortibus; Ipſi
,, In ſobolem patris penetrant cum ſemine mores.
Nec dubijs quæ dico notis res ſæpè probavit:
Vt deſint alij: Rex id CHRISTIANVS abundè
Exemplo docet omne ſuo: Quàm ſæpè latentes
Exſeruit dotes animi? divinaq; mentis
Semina? & incoctum generoſo pectus honeſto.
Quàm viget ingenium? quantus ſub pectore veræ
Relligionis amor fervet? quæ juris & æqui
Cura infixa animo? Doctis quàm præmia Muſis
Digna offert? Priſcos generis mox vincet honores,
Quàm ſibi majores, majus decus ipſe futuris.
Sic ſortem meritis æquat; virtutibus annos
Antevenit; nulli pietatis amore ſecundus.
Nec princeps Danaûm quisquam de ſtirpe nepotum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

In tantum ſpe tollet avos: Arctoaq; nunquam
Vllo ſe tantum tellus jactabit alumno.
Macte rudimentis Rex inclyte, & indolis altæ
Primitijs: Pater omnipotens, qui noſtra tuetur
Præſidia ad veterum dignè te regna parentum
Extulit, & placidâ populos in pace regendos.
O mihi tam longè maneat pars ultima vitæ,
Spiritus &, quantum ſat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Maro: ſit licet hoc propior non alter Homero;
Et quamvis fidibus ſylvas commoverit ille.
Intereà noſtræ poterunt quodcunq; camœnæ,
Seu tibi par poterunt, ſeu, quod mens abnuit, ultrà
Sive minùs, certèq; canent minùs: omne movemus
Hoc tibi, ne tanto careat mihi nomine Charta.
Sum quodcunq;, tuum eſt; noſtri ſi parvula cura
Sit tibi, quanta libet, ſi ſit modò, non mihi Cræſi
Divitias optem; Lycij nec ruris ariſtas.
Hactenus hæc: porrò nunc dicite carmine Muſæ
Qui regem proceres, equitum quæ turba ſecuta eſt,
Qua primùm Holſatas venit comitatus in oras,
Præcipuè refluo pingues ubi flumine campos
CREMPA ſecat; dictaſq; ſuo de nomine CREMPAS.
Et ne longiùs hæc accito carmine dicam,
Summa ſequar: Cum Rex CHRISTIANVS viſere fines
HOLSATOS iret, CREMPISq; propinquior eſſet:

Fama

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Fama ruit totam ſubitò pennata per urbem:
Adveniunt equites; magna & comitante caterva
Rex CHRISTIANVS *adeſt: Portis effuſa juventus*
Viſendi ſtudio, campos lato agmine complet;
Agmen apum veluti ſub adulti tempora veris
Emiſſum caveis, glomeratur in aëre pennis,
Purpureosve metit flores, & candida libat
Lilia, vel croceis halantes floribus hortos.
Illi per campos qua proxima meta viarum
Ordine conjuncti properant, atq; agmine facto,
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Continuò ingeminat ſummo bombarda fragore
Magnum, horrendum, inſuetum, ingens per nubila ſi-
Perſonat hinc æther, cœlumq; ſonore remugit (gnum.
Terrifico, ſonituq; illo tremit excita tellus.
Tum cives exciti omnes per tympana pulſa,
Enſe latus cingunt, radiantia fortibus aptant
Arma humeris, galeas auro, criſtisq; decoras
Imponunt capiti; loricam ex ære rigentem
Induit hic, hamis conſertam auroq; trilicem;
Ille manu criſpat præfixa haſtilia ferro.
Hic gladium ſcapulis ingentem ſuſtinet, ille
Bombardam, glande & nitrato pulvere geſtat
Inſtructam: atq; alij (nec dicere ſingula poſſum)
Armorum inducunt non enarrabile textum.
Sic ſatis armati, longo tandem ordine apertis

Excedunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Excedunt portis, & tympana pulſa ſequuntur.
Æra micant, galeæ lucem ſub nubila jactant
Sole laceſſitæ: tum latè ferreus haſtis
Horret ager, campusq; armis ſublimibus horret.
Signiferi in medijs, utrinq; undantia torquent
Signa duo, verſantq; eadem, dextrâ atq; ſiniſtrâ.
Mox qua venturus Rex eſt regione viarum
Ductores certo diſponunt ordine turbam,
Quo ſtet quæq; loco, quaq; in ſtatione moretur.
Rex tandem, regemq; duces, comitesq; ſecuti
Succedunt propiùs, greſſumq; ad mœnia tendunt.
Ceu nivei volitant liquida inter nubila Cygni,
Cum ſeſe è paſtu referunt, vel ſtagna Cayſtri
Linquentes, alis auras longo ordine tranant:
Haud ſecus hi veniunt criſtis phalerisq; decori,
Cornipedesq; citos ferratâ calce fatigant.
Hic ego quid referam veſtes, argentaq; bullis
Cingula? quid gladios electro, auroq; recocto
Inſignes? quid equos, quid equorum fræna, jubasq;?
Agmine Rex medio, facie & florentibus annis
Egregius, procerum turba comitante propinquat.
Qualis ubi Oceani perfuſus Lucifer undis
Quem regina Paphi præ cunctis diligit aſtris,
Extulit os undis roſeum, noctemq; fugavit.
Arduus hunc quadrupes, mandens ſub dentibus aurum
Suſtinet, erecto glomerat qui pectore greſſus,

In numerum: frontemq; oſtentans arduus albam
Incedit, ſinuatq; alterna volumina crurum.
Hinc Regem multi proceres comitantur euntes
Flos veterum virtusq; virum, queis pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum it circulus auri.
Frænatis omnes in equis, & veſtibus arte
Egregiâ textis lucent, quos omnes euntes
Miratur pubes, tantum decus enitet ore.
Quin etiam Aſtræa, & læto PAX *aurea vultu,*
Et PIETAS, *& quæ* CLEMENTIA *temperat iram*
Præcipitem; comites lateri ſe principis addunt:
Hic, quacumq; via flectit veſtigia, greſſus
Ante ferunt JUS, FASQ; *ſuos;* LIS, VISQ; *Dolusq;*
Omnis & Impietas, tam ſanctis greſſibus abſunt.
Sed reliquos qua voce canam, quo carmine dicam
Illuſtri de ſtirpe duces, quos gloria aviti
Nominis, & virtutis amor, flosq; integer ævi
Commendat; regem, qui nunc comitantur euntes.
Omnibus his ventura dies præconia ſervat
Maxima, & æterno durantem tempore famam.
Cum jam maturos exſolvent indolis altæ
Quos metat ingenti Reſpublica fœnore, fructus.
His alii proceres junguntur, nomina quorum
Me fugiunt, & avita latet natalis origo.
Jamq; iter emenſi, portis bipatentibus intrant:
Cum ſtudio effuſæ domibus matresq; nurusq;
Longævi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Longævíq; ſenes, pueri, innuptæq; puellæ,
Vndiq; confluxere, & eos mirantur euntes;
Et cupidis inhiant animis; tacitaq; ſalutant
Læticia, vitamq; & proſpera cuncta precantur.
Nec ſatis eſt vidiſſe ſemel, juvat uſq; morari,
Et ſpectare oculis generoſæ frontis honorem.
Poſt urbem ingreſſi longo omnes agmine regem
Hoſpitio ſiſtunt: variis hinc inde figuris
Egregio, & pictis variante colore tabellis.
Nec longum in medio tempus; quando ordine cives
Prætereunt pariter, queîs Rex divertitur, ædes.
Vtq; aliis alii ſuccedunt, agmine facto
Nitrato exonerant inſtructas pulvere cannas;
Ingenti crepitu: locus ipſe ſonore remugit.
Et jam quæ porrò peraguntur cætera, paucis
Dicere conarer; ſummo ſub fine laborum
Ni feſtinarem terris advertere proram. (urbem
Quod ſupereſt: Fatis CHRISTIANÆ *faventibus*
Ingrediare precor; fatiſq; faventibus urbe
Egrediare precor; fatiſq; faventibus ad nos
Regrediare precor; fatiſq; faventibus uſq;
Progrediare precor: te dextera magna JEHOVÆ
Fulciat; ætheræ cingant te utrinq; phalanges.
I decus, I noſtrum; Flos I pulcherrimè ſtirpis
Cimbrigenûm; ſtella I Borealis lucida terræ.
Cumq; polo & ſtellis ſuperantem in ſecula famam

 Poſside,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Poßide, ab obſcuris lucem dum dividet umbris
Phœbus; & egregium factis fer ad æthera nomen.
Et cum perpetuum nil ſit, durabile nil ſit,
Tu niſi perpetues DEUS *optime Maxime, qui Rex*
Es Regum; & Dominus Dominorum ſummus: &
Regia corda tua complecteris omnia dextra: (idem
Te precor & reprecor, te deprecor, annue vultu
His votis placido, quæ pectore fundimus imo.
Tu rege CHRISTIANUM *regem; tu* FLAMINE *ſancto*
Unge tuum Regem; Regis præcordia reple
Conſilio DEUS *alme tuo; Tu ſenſibus adde*
Judicium pater alme tuum: Tu Neſtoris annos
Indulge vitæ Regis: Fac proſpera cuncta
Cœlitus affundat de divite Copia cornu:
Fac porrò Arctoj PIETAS FUNDAMINA REGNI
CONSTITUAT, *puræ cum* RELLIGIONIS *amore*
Symbolum *Da pater omnipotens, cœlo ut* JUS FASq; *benigno*
Regis *Deſuper aſpiciant: Fac ut illis oſcula jungat*
CHRISTI- *Optima* PAX *rerum: Fac regno* TEMPORIS *adſtet*
ANI IIII. *Filia, & æternam jungat cum pace quietem.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 323 [35,-195 4°]